




IN VĪNŌ VĒRITĀS

FĀBULA MORAVICA DISCIPULĪS
LINGUAЕ LATĪNAE DEDICĀTA

CAPITULUM PRIMUM

POĒTA IN VINEĀ



Ecce poēta. Ubi est poēta? In vineā est. Ubi est vinea? In Morāviā. Multae sunt vineae in Morāviā. Poēta in vineā ambulāre amat. Ūvās mandūcat, cantilēnās cantat, dē vītā suā cogitat.


„Ō quam pulchra est vīta in terrā Moravicā, quam pulchra est vinea! Vineam amō. Iam in puerītiā meā in vineā ambulābam, quia cum aviā habitābam et apud cāsam aviae meae vinea quoque erat. Nunc avia iam mortua est, itaque sine aviā habitō, sed in vineā semper ambulō inter ūvās, quās mandūcāre amō. Ō Morāvia, patria mea, tē ā puerītiā amābam et ūsque ad hōram ultimam tē amābō!”

Apud vineam tilia stat. Tilia antīqua et magna est et umbram vineae dat. Poēta ad tiliām ambulat et iam in umbrā tiliāe stat. Nunc tilia poetae quoque umbram dat.

„Iūcunda est umbra, umbram amō, in umbrā tiliāe magnae saepe dormitō et cantilēnās nātūrae cantārī auscultō. Ecce! Merula in tiliā saltat. Salvē, merula, cantā mihi cantilēnam tuam. Amō cantilēnam, quae

ā merulā cantātur. Sed non est ūna merula tantum in tiliā, sunt duae merulae! Salvēte, merulae, cantāte mihi cantilēnās vestrās!"

Merulae in tiliā cantant, pulchrae cantilēnae ā merulīs cantantur. Poēta merulās cantāre auscultat, in terrā sub tiliā sē prōstrat et iam dormitat...



„Quid tū hīc dormitās?! Quid ūvās mandūcās?! Est vinea mea, nōn tua, meae ūvae, mea tilia, mea umbra! Quid nōn in scholā es?! Necessē est tē castīgārī, mastīgia! Exspectā tantum, tē verberābō!“

EXERCITIA AD CAPITULUM PRIMUM

I. Vocābula ignōta cum pictūrīs coniungite:

vinea, ūva, avia, cāsa, tilia, merula



VICIPÆDIA
Libera encyclopaedia

Tilia cordata (nomen botanicum [Philippo Miller](#) anno 1768 statutum) est [arbor](#) deciduus generis [Tiliae](#) in [familia Malvacearum](#). In [Europa](#) passim habitat et silvas saepe format et in hortis colitur.

In Bohemia Moraviaque (et inter alios Slavos) arbor nationalis habetur: folia tiliae in vexillo praesidentis vel in sigillo rei publice picta sunt et multae antiquae tiliae lege publica proteguntur.

II. Vērum, an falsum? Respondēte:

| | |
|-------------------------------------|----------------|
| Poēta cum aviā apud vineam habitat. | VĒRUM / FALSUM |
| Poēta patriam suam amat. | VĒRUM / FALSUM |
| Apud vineam tilia stat. | VĒRUM / FALSUM |
| In tilia ūna merula cantat. | VĒRUM / FALSUM |
| Poēta verberātur. | VĒRUM / FALSUM |

III. Respondēte:

- Ubi est vinea? _____
- Quid poēta amat? _____
- Ubi sunt merulae? _____
- Quid poēta mandūcat? _____
- Quid tilia poētae dat? _____

IV. Addite, quod deest:

Poēta vine____ amat, quia ūv____ in vineā mandūc____. Poēta cum avi____ habit_____, sed nunc iam ____ aviā habitat. Poēta merul____ imperat:
„Cant____!“ Pulchra cantilēna ā merul____ cantātur. Tilia vine____ umbram dat. Poēta in _____ merul____ auscultat et dormitat. Pulchra est vīta in Morāvi_____. Sed heu, mox poēta castīg_____ et verberābitur! Iam nōn pulchra est vīta...

CAPITULUM SECUNDUM DISCIPULUS IMPROBUS



Ō vae poētae, dominus vineae adest et īrātus est! Cūr dominus īrātus est? Quia poēta in vineā dominī ūvās mandūcat. Iam nōn in umbrā tiliæ dormitat poēta, neque merulās auscultat, neque dē vītā suā pulchrā in terrā Moravicā cogitat. Nunc poēta vītam suam servat et ē vineā properat.

„Exspectā, mastīgia, tē verberābō!“ dominus clāmat et baculum suum ad poētam agitat et multa verba mala vocat.

Sed poēta verba dominī iam nōn auscultat et ā tiliā, quae apud vineam stat, festīnat. Quō poēta festīnat? Nōnne in scholam? Est enim discipulus et discipulus prōbus māne in scholā est. Poēta noster autem discipulus improbus est, quia nōn in scholā est, sed in vineā ambulat. Et in scholā magister sevērus est, quī discipulōs improbōs castīgat. Sī puerī tardī scholam intrant, ā magistrō sevērō nōn sōlum vituperantur, sed etiam virgā verberantur. Sī ergo nunc poēta scholam intrābit, certē verberābitur. Et poēta verberārī nōn amat. Poēta laudārī amat. Itaque per agrōs prātaque ambulat ad vīcum Mussoviam, ubi habitat, et dē vītā suā cogitat.

„Sī scholam tardus intrābō, certē ā magistrō nostrō sevērō virgā verberābor. Sī in vineā ambulābō, verberābor quoque, ā dominō vineae et nōn sōlum virgā parvā, sed baculō magnō. Ō quam mala est vīta poētae! Quid nunc ergo? Ecce! Amīcum meum visitābō! Vīnum mihi dabit et vīta mea denuō pulchra erit!“



Itaque poēta ad vīcum properat et iam ante cāsam amicī suī stat. Ostium pulsat et clāmat: „Heus, amīce, esne in cāsā tuā?“

„Ā quō mastīgiā ostium meum pulsātur?“

„Iosephus sum, amīcus tuus. Dā amicō tuō miserō vīnum, quaesō.“

„Iosephe, quid nōn in scholā es?“

„In vineā ambulābam et dē vītā cogitābam et...“

„Et ūvās mandūcābās et ā dominō verberābāris. Nōnne vērum est?“

„Est ita. Itaque in vineā ambulāre iam nōn possum, neque scholam tardus intrāre. Certē verberābor! Adīuvā mē, amīce, servā vītam meam, dā mihi vīnum! Amābō tē!“

„Ō miser tū, discipule imprōbe. Necessē est tē castīgārī, nōn vīnum tibi dari! Dabisne mihi pecūniām, sī tibi vīnum dabō?“

„Nūlla pecūnia est in sacculō meō, discipulus sum, nōn dominus vineae pecūniōsus ut tū.“

„Sī discipulus es, quid nōn in scholā es? Ō deus! Sed exspectā. Amīcī amīcōs semper adiūvābant et adiūvābunt. Et egō tē adiūvābō. In cellam meam vināriam ambulābimus et tū mihi dē perīculīs tuīs narrābis. Quī dominus vineae erat, quī tē verberābat?“

„Oh, grātiās agō, amīce! Vīta mea misera ā tē servābitur, ut semper! Certē tibi narrābō. Auscultā mē...“

Itaque poēta cum amicō suō in cellā vināriā dē perīculīs multīs et multās variās fābulās sibi narrant. Multum vīnī pōtant et postea ut merulae cantilēnās cantant. Ō quam pulchra est vīta in terrā Moravicā!



Vīnulum album,
puellae dōnum,
pōtābō tē,
ūsque ad mortem,
vīnulum album.

Vīnulum ātrum,
altera vestrum,
pōtābō tē,
ūsque ad mortem,
vīnulum ātrum.

Vīnula ambō,
puellās amō,
vōs pōtābō,
dum spīrābō,
vīnula ambō.

EXERCITIA AD CAPITULUM SECUNDUM

I. Vocābula ignōta cum pictūrīs coniungite:

baculum, virga, prātum, vīcus, cella vināria, sacculus, ostium



VICIPÆDIA
Libera encyclopaedia

Mussovia (Bohemice *Mušov*, Germanice *Muschau*) est vicus pristinus in Moravia australi annis septuagesimis saeculi XX, incolis resistentibus, propter stagnum *Nové mlýny* construendum abolitus.

In tumulo *Hradisko* apud vicum castra Romana saeculo secundo, temporibus belli Marci Aurelii imperatoris cum Germanis posita erant. Quorum residua etiam hodie videri possunt.

II. Vērum, an falsum? Respondēte:

| | |
|---------------------------------------|----------------|
| Magister poētae sevērus est. | VĒRUM / FALSUM |
| Poēta aquam ab amīcō rogat. | VĒRUM / FALSUM |
| Amīcus poētam in cellam suam invītat. | VĒRUM / FALSUM |
| Amīcī in vineā ambulant. | VĒRUM / FALSUM |
| Poēta duās puellās amat. | VĒRUM / FALSUM |

III. Respondēte:

Ubi amīcus poētāe habitat? _____

Cūr poēta nōn in scholam ambulat? _____

Quō amīcus poētam invītat? _____

Cūr nūlla pecūnia in sacculō poētae est? _____

Quid amīcī in cellā pōtant? _____

IV. Addite, quod deest:

Poēta ā vine__ ad vīcum properat. In schol__ enim magister sevēr__ est, quī discipul__ improb__ virgā verberat. Et poēta nost__ discipulus probus nōn est, quī ūv__ in vineā mandūcat, neque in scholā est. Poēta verber__ nōn amat, itaque nōn in schol__, sed ad amīc__ su__ ambulat. „Dā vīnum amīc__ tu__!“ vocat. „Dabisne mihi pecūni___, sī tibi vīnum da__?“ ab amīcō interrog___. Nūlla autem pecūnia est in sacculō poēt__. Sed amīcus tamen eum adiūv__ et poēta in cellam ab amīc__ invītatur. Et quid in cellā? Amīc__ vīnum pōtant. Multum vīnī pōt___. Mult__ fābul__ narrantur et cantilēnae canta___: dē vīnō et dē puell___. Pulchra est vīta in terr__ Moravic__!